

Optimarum artium
... rector
academiæ Aboensis
Samuel Shulten ...
Quamquam h...

Schultén, Samuel,

17 Taad Fo1.




National Library
of Sweden

1724 Octobr. 11

OPTIMARUM ARTIUM VIRTUTUMQUE,
MAGNIS PATRONIS,
ÆSTIMATORIBUS, CULTORIBUSQVE,
RECTOR ACADEMIÆ ABOENSIS

SAMUEL SCHULTEN
S. P. D.



Uamquam haud animum meum
laet, invivem esse nec admodum gratam audientibus
legentibusq; omnem eam orationem, quæ a sapientis alicujus
voce, Oratore, Poëta, vel Philosopho, illustri licet &
magnifica, principium dicendi petit: in primis vero, ci-
viles quosdam homines, in aula, foro, consiliis publicis
videntes, a tali genere plane abhorrere, quod & suo
quemq; Marte, & judicio, rem gerere debere existimant; & omni tempesta-
te supra memoriam sapientia fuit: tamen si hoc lætissimo die, quo nobilitate,
virtute, dignitate, illustres, spectabiles, præstantesq; Viri, & juvenes, ad
sacratum Camænis Aboënsibus festum, more patrio, invitandi sunt ut Or-
dinis nostri Duodecimum, pulcherrimæ disciplinæ Professore, Astronomum,
Geometram, a natura fictum, ab arte factum, politumq;, & Principali diplo-
mate sancitum, in leges Academicas solenni religione adstringi, nobiscum
una adpiciant ornandi sermonis gratia ab eo viro aliquid mutuo sumam,
qui inter elegantes homines, elegantissimus, doctorum doctissimus, inter pau-
cos disertos disertissimus, doctis, indoctis, rusticis, urbanis, agentibus, otio-
sisq; juxta carus, acceptusq;, fuit; id in vitio mihi poni haudquaquam jure
existimo. Marcus etenim Cicero, e cujus tamquam alterius Nestoris ore
melle dulcior fluebat oratio, & cujus in eloquentia, ingenio, doctrina, ac in-
credibili ad persuadendum vi, ad disputandum perspicacia, plura forsitan ad-
mirandum posterior ætas invenit, quam in toto reliquo sapientum virorum
Choro: is, in quibusdam libris ad Marcum filium scriptis, qui Officiorum
nomen præferunt: quis enim de officio melius differeret, aut doctius? quam
is, quem virtus, & prudentia, ob summam officii conservationem ad am-
plissimam dignitatem evexit, multus est in laudanda Philosophia, dicitque:
nihil ea optabilius, nec præstantius, nec homine dignius, nec homini melius
esse; Cui qui studeat, eum, omne tempus ætatis sine molestia posse degere,
sive enim, inquit, oblectatio quæritur animi requiesq; curarum, nihil con-
ferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid acquirunt, quod spectet,
& valeat ad bene beateque vivendum, sive ratio virtutis, & constantiæ quæ-
ritur; aut eam artem esse, aut nullam, per quam eas assequamur. Philoso-
phiam autem definit, ut sit studium sapientiæ; sapientiam vero, rerum di-
vinarum, & humanarum, causarumq; quibus illæ res continentur, scientiam.
Cujus studium qui vituperat, haud intelligere se scribit, quidnam sit quod
laudandum putet. Quis quam ne idem alio loco quærit, vituperare audeat vi-
tæ parentem, & hoc parricidio se inquinare, & tam impie ingratus esse?
Idemque eandem, ut magistram, & ducem, & lucem vitæ omniumq; actio-
num, adorat & laudat. Quis credidisset, aut vel per somnium imaginare
potuisset, tam illustrem, & tam congruentem rationi sententiam aliquo tem-
pore a doctis oppugnari iri? Quid autem Philosophia? Est, scribit Cicero,
studium sapientiæ. Quid sapientia? nisi rectum de rebus divinis humanisque
judicium quæ mentis oculis comprehendere possunt, naturæque rationis matu-
ra quædam proles, quæ diu foras & nutrita, confirmatis viribus ingenii,
doctrinæque erumpit aliquando, & quasi generatur, tantas utilitates afferens
tribuensq; hominibus, quantas vix queo dicere: nec enim lingua omnes perse-
qui possum, nec cogitatione complecti. Quam qui contemnendam, aut re-
pudiandam putat, is tam in homines injurius, quam adversus DEum immor-
talem

talem ingratus cenferi debet. Equidem cenfuiſſem, etiamſi Carneadem aliquem ex orco poteſtas aliqua revocaret, qui pro vero & falſo pari facultate vires eloquentiæ intendebat, ne illum quidem tali ſacundia virum, & e Plutonis Schola ad evertendam honeſtatem inſtructum, auream illam auſurum laceſſere vocem quæ immortalẽ continet veritatem, niſi in manibus eſſent virorum eruditorum libri, qui Philoſophiam damnarent & Philoſophos ſtultiæ arguerent. Arbitrabantur, credo, patefacta de cælo diviniæ naturæ veritate, communicatiſque mortalium generi adorandis, Immenſæ Bonitatis conſiliis, ſacrilegii inſtar eſſe, aliquam, inveniendi veri laudem naturæ hominum assignare, quæ Sacris Oraculis in rotum eſſet vendicanda. Nec enim Philoſophos qui ſinem bonorum ignorarent, de reliqua vita recte potuiſſe judicare; nec voluiſſe, quoniam aliter docerent, & viverent, ut a dictis eorum facta ſere diſcreparent. Itaque multa accurate copioſeque a Philoſophis diſpurata, tum ad rerum naturam, tum morum doctrinam, pertinentia, e doctorum Schola proſcripſerunt, unico fonte relicto, ut ex divinis libris ſcientiarum placita derivemus, Indeque illa, ſi Diis placet, Philoſophia ſurrexit Chriſtiana, quæ, a Socrate, Platone, Ariſtotele, Cicerone, reliquitque; omnia dicta ſcriptaque ſapienter alto ſupercilio contemnens, ea modo literarum præcepta agnoſcit, Geometriam, Aſtronomiam, ſocietatis naturæ gentiumque; juris notitiam, Dialecticam ſere etiam, & Rhetoricam, eam, non aliam admittit, quæ iſta ex origine veritates ſuas deducit. Quorum quidem pietatem, in eo quod divinarum rerum authoritatem aſſerere laborant, difficile eſt non laudare; ſed ſuperſtitionem probare non poſſumus, quod rationem homini a natura datam, inertem, ac inutilem efficiunt; quaſi ipſa proprio Marte nihil quidquam valeret invenire. Nos autem non fatemur modo ab aliis etiam ut concedatur nobis, Geometrarum more, poſtulamus, nullius ſapientiam hominis ardentiffimumque; ejus conſequendæ ſtudium ad tantam gloriam pervenire, ut, aut viventium aliquem mortalitatis legi ſubducatur, aut mortuum meliori vitæ reſtituat, aut beatas poſt obitum animas efficiat, aut immortalis naturæ Dei veram ſolidamque cognitionem vel ulla ex parte complectatur: hæc ſunt, quæ peculiari beneficio divina clementia reſervavit; ſed eam ne ob cauſam veritates humanas nullas eſſe dicamus? earumque, veritatum collectionem, quam ſapientiam dicimus, improbemus? rationemque naturæ earum inventricem ſtultiæ accuſemus? quod ſinibus ſe ſuis contineat, quod ultra vires non nitatur, quæque hominum ingenio ſolertiæque conſeſſa ſunt, ea indagare & inquirere velit; negata vero non multum curare; in quibus qui magnam operam conſumit, is quidem naturæ vim inferre, & cum Titanibus, invitis Diis, cælos ſcandere Deosque; oppugnare videtur. Etenim illa ineffabilis Claritas, cujus ſplendori fulgor ſolis comparatur, mera eſt caligo, animis mortalium in ipſa nativitate ſemina virtutum vitiorumque; & lumen rationis inſeſcit, quæ dum ſoverent atque colerent, tam multa & mirabilia invenerunt, quibus ſi careremus quid vita hominum a ſenſu differret heſtitarum? Quis tam ſtupidus eſt ut non intelligat? quis tam rudis, ut ignoret? hanc vim homini eſſe datam ut ad ſocietatem ſe natum videret, & ſolitariam vitam fugeret: ut in coenibus, & comunitatibus, jure quam injuria ſociatis, vivere; ut imperio & legibus ſubjectus, quam exlex eſſe mallet; ut, ſi quam facultatem ingenii, doctrinæ; ſi quas opes, copias, potentiam, imperium, natura, fortuna, opera, induſtria quaſiſſet; ea in juvandis, defendendisque; hominibus, non ad peſtem & perniciem uteretur. Ex eaque; perſpicientia, tum cognitio naturæ, tum officiorum ratio naſcitur, quid ſibi quique; quid aliis debeat, quid reipublicæ, quid privatæ; quid hominibus ob eam cauſam quod homines ſunt, quid Deo; quia Deus. Sit licet ipſa hæc de Deo notitia admodum imperſeſta & imbecillis: quantula enim eſt illa mens humana ut res innumerabiles comprehendere queat; non omnino tamen abſurda eſt: nec omnia ignorat, ſed tantum perſpicit, quantum ad continendos in officio homines ſatis eſſe poſſit ut vitam hanc quam vivimus quieti & tranquilli degant. Quam quidem admirandam vim naturæ qui reiiciunt & pro nihilo ducunt, eos forſitan potius infanos prædicare jure poſſem, quam vel eo quæ ducit Philoſophiam, vel Philoſophos qui eam colunt; nec ſi aliquando hi a regia via deſlectunt, & vita, factis, exemplisque nocent, quod propter imbecillitatem naturæ omnino fieri necelle eſt; id quidem magis veritati detrahit Philoſophiæ, quam ſi argutos iſtos reprehendere quisquam cenſores velit, quod in finitis corporibus infinitam non habent intelligentiam; aut quod ipſi, meliora edocti, eadem in aliis reprehendunt quod iidem tam frequenter admittunt; vel quod animorum impetui, appetitibus, perturbationibusque;

tam

tam hi aliquando paruerunt, quam illi perpetuo subjacent. Reijciamus igitur omnem eorum vanam, ridiculam, & plenam superstitione sententiam, qui studium sapientiae contemnunt, hominumque e societate seducunt: retineamus Philolophiam, atque ita, ut decet Philosophos teneamus, non ut summa imis miscentes, aut humana cum divinis confundentes quasi monstra quaedam scientiarum pariamus: sed ea religione, eoque proposito, ut si quando sacra cum profanis contendant, jaceat humana, valeat divina sapientia. Quod ni ita esset, & si Philolophia, studiis, curis, cogitationibus nostris indigna esset: si huic lumini, quod a natura accepimus, & expressimus, non liceret in campum universi exspatiari: & res idoneas eiusmet cognitioni subjacentes indagare, excipere, exquirere, examinareque: si rationis naturae oculi ad omnia coeci clausique essent, exceptis iis, quae divinarum legum nobis revelavit promulgatio, non tum pessime omni hominum generi consultum foret, quod tot aetatum seculorumque industria tam poenitentiam operam suscepisset, immensaque laboris, curarum, vigiliarum, lucubrationumque non alium fructum quam stultitiae opinionem contraxisset. Verum enimvero, eo se commodius tota res habet quod paucos admodum seditiosos homines dementia ista invenit, & eos quidem non fortuito errore lapsos, sed uti eorum mentulit ut soli sapere, & cernere plus quam ceteri viderentur, in pulcherrimarumque scientiarum ornatissima republica tyrannidem quasi occuparent, communem, diuque probatam omnem sanam utilemque: docendi disputandique rationem evertere, ex orbemque erudito exterminare voluerunt. Quorum, cum authoribus sententiam, fatum, quod meruere dudum, absumsit; veritas aeternum viger, durabitque. Itaque omnia tempora, secula, aetates, omnes boni probatique viri, omnes gentes, populi, nationes, quae aliquam virtutis, scientiaeque, laudem consecutae sunt, quaeque Scholas fovent, & Academias, doctosque viros in pretio habent, proxime & post eam veritatem quae omnibus humanis rebus anteponenda est, quaeque alterius vitae aeternam felicitatem attingit, quam veneramus omnes & adoramus nihil prius nec antiquius habuere, quam ut illam occultam vim naturae & rationis, quae in animis hominum tamquam scintilla sub cinere gliscit, excitarent, accenderent, & tamquam in altissimo aliquo clarissimoque candelabro, ut luceret omnibus, ponerent. Idem etiam eidem colendae, augendaeque formam quandam praescripserunt: cui proponendae explicandaeque viros, tam diligentes, quam eruditos, in omni scientia, virtuteque, exercitatos praefecerunt. Qua eadem sapienti providentia religiosissimorum hominum effectum est, ut cum placuisset omnes artes, scientiasque, omniaque, quae animo ingenio doctrina comprehendi possunt, ad quatuor genera, id est quatuor disciplinarum facultates referri: in prima Venerabiles videamus Theologos; altera nobilissimae arti Jurisprudentiae; tertia & ei qua carere nec possumus Medicinae, assignata sit; quartam Philolophia occupet, & Philosophi: quorum proprium munus est quod tractent, in quo se exercent, ut sapienter dicta, & cogitata, factaque prudenter veterum mortalium ab oblivione & interitu vindicent, novisque praeterea inventis ornent, poliantque rempublicam. Mirum vero si cuiquam postea videatur maledictis lacessere, aut exilio damnare Philolophiam, cum sessionem & suffragium in litteratorum hominum civitate, per justos titulos, & longa tempora possedit: quod quidem factum non fuisset, si ea, aut nulla esset, aut inexplicabili errore teneretur. Equidem non licet diffiteri, & cur vera non fateri necesse sit? carissimam Patriam, ante florentissimam, nunc bello peste annonae caritate minutam, Sveciam, & eam in qua vivimus Fennoni- am, per multa & millenaria spatia ea luce caruisse, quae ex vera religione & claritate oritur litterarum: virtutem non aequae defuisse constat inter omnes, & exemplorum monumenta probant; verum postquam ille fulgor haec eras illustravit, vereor an ulli genti literae cariores fuerint. Certatim accurrebant simplices animi ad amplectendam divinarum rerum notitiam, & quos ante fallorum Numinum cultus ad terrorem & metum & superstitiosa consilia coegit, eos in Deorum Deorum caritatem, & fidem & spem futurorum ponere, habereque jussit. Juris prudentiae artem, ad utilitatem & ad decorem quandam, pro more seculi expressam, ad conscientiae leges revocavit. Medicam virtutem, non plane ignoratam, sed obscuratam, errorumque nebulis involutam, clariorem effecit. Philolophiam denique, demtis alienis, suas sibi res habere jussit, & sicuti Jurisprudentiae ac Medicinae principia artis suppeditaret; ita caetera sibi tractare, de rebus vero sanctis & divinis omnino in posterum silere. Cum autem viderent sapientissimi homines majores nostri, magnam rem esse & exercitatione non parva egere, si pie docti & periti & eruditi in omni genere doctrinae esse fierique velimus: & eam quidem facultatem sine diligenti, bonaque institutione haberi non posse: hanc ve-

ro sine docto, & prudente, probatoq; Magistro nunquam obrineri. Itaque incredibili cura providerunt, ut quam plurimos optimos doctissimosque viros haberent, qui ad omnes paleras & præclaras artes a primis annis teneram, flexilem, docilemque ætatem instruerent: his idcirco peculiarem reipublicam dederunt: eam dotibus auxerunt: Magistratus, leges jura, suffragia, tribuerunt: eosque ipsos Professores crearunt: disciplinas in genera & classes divisiverunt; ut quidam Theologi, alii Jurisconsulti, nonnulli Medici, reliqui Philosophi appellerentur, constituerunt. Cesserunt quidem fato omnis ætatis, & memoriæ clarissimi Reges GUSTAVUS ille cognomine Magnus, CHRISTINA, CAROLUSq;: quorum si tantis votis locus fuisset, vel ex uno hoc amplissimo in omne Svecanum nomen collato beneficio, jure vita immortalis esse debuisset. Tu tamen, o mihi gratissima patria nunquam oblivisceris, quæ & quanta Sanctissimorum Principum in te fuere merita: quantus, eorum sub imperio religioni & pietati honos, quanta justitiæ integritas, artibus peritia, Philosophiæ candor accessit, potius sciens prætereo, quam inepte explicare audeo. Et hi quidem non mortui sunt, sed ad eam sedem translati quæ vere vita est appellanda: e nostro solum conspectu discesserunt, quod ex gloriola recordatione beatissimarum animarum apud gratam posteritatem nihil minuet, nec detrahet quidquam. Magnum beneficentiæ certamen cum pie defunctis inclyris Regibus, quotidie in præsens ARCTOI ORBIS GLORIA

FRIDERICUS, Rex, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque, Potentissimus, Heros invictissimus, nulla non virtute vinci nescius: qui, ut beneficium Patris Patriæ nomen ab hostium telis liberata Republica dudum promeruit; ita magno jure futuris seculis dubitandum reliquit, utrum superiores sui majore animo lucem Academicam in orbem Svecorum admiserint, quam ille eandem tuetur & auget. Binas regni uniones, alteram in Uplandia & Scania alteram sitas, in mediis ferocissimorum flammis incolumes servavit. Fennoniæ hanc gemmam, Aboensem Academiam pressam, captivamque restituit; bona, jura, loca, fundos, collegia, auditoria, a priscis fundatoribus accepta postliminio recuperare jussit; Professores artium liberalium optimos innocentissimosq; viros, aut belli furore abreptos aut calamitosis angustisque rebus e statu dignitatis dejectos, partim erexit, in reliquorum locum & mortuorum alios esse jussit. Ita hujus divini Principis paterna indulgentia, post mille casus & discrimina, expletum iterum videmus clarissimum numerum Professorum. Nulla amplius dici hora vacabit in Auditorio: Nullius vox deerit in Consistorio. Astra, terræ, maria, tempora, festa, numeri, observatorem sedulum sortita sunt; florensque pubes Academica præceptorem tam solertem, quam impigrum. Plenus factus est Patrum Academicorum Orbis, locupletatus, ornatusq; insigni accessione Amplissimi, Præclarissimiq; Viri, Magistri **NICOLAI HASSELBOM**, Ille, ille est, quem Sacra Regia Majestas, commendante eum Primario Regni Senatore, Summoq; Sigilli Præfeto, & hujus Academiæ Cancellario multo Illustrissimo, Celsissimo Comite, **DN. ARVIDO HORN**, post Clarissimum **TAMMELINUM** in Fenneboæ Welmanniæ degentem, hac in alma literarum Universitate Mathematicum Professore esse jussit, sacrisque codicillis confirmavit. Quanta sit ejus disciplina quæ deinceps professurus est, utilitas, præstantia & dignitas, apta commodaq; oratione coram illustri, frequentiq; consessu vestro præsens ipse explicabit. Quanta illius erudito, peritia, dexteritas, idem quoq; ipse, re & factis, quam verbis, promptius auditores suos edocebit. Magna incrementa sequiore ævo cepit omnis scientia Mathematica & incredibile dictum est quam turpiter in rebus simplicissimis, erraverunt veteres. Nostra certe his imbuta literis Academica juvenus, nunquam se patietur ad eam ignorantiam deduci, ut, aut Fortunatas in Anglia insulas, aut Romam in Germania, aut Hispaniam, magnam urbem credat: nec de Antipodibus nostris sint ne aliqui nec ne? dubitandum putet: cui errori quod restiterat aliquando Virgilius quidam in Germania Episcopus, Pontificis Maximi Zachariæ fulmine percussus est, sed præeunte hujus fideli opera magistri, bene perlectis probeq; meditatit, quæ post Archimedes, Euclidem, Ptolomæum, Purbachium, Braheum, Copernicum, Galilæum, Scaligerum, Reinholdum, Regiomontanum, Neperum, Hariottum, Briggium, alique innumerabiles, ad augendam nobilissimam scientiam prodiderunt, in difficilissimarum cognitu rerum, portu facile navigabunt. Cum autem postridie hujus diei provinciam sibi decretam decenter ingredi novus Professor cupiat, itaque Summum & Splendidissimum Regium Fennoniæ Tribunal; Perillustrem Baronem Toparcham; Reverendissimum Episcopum Pro-Cancellarium, Patres Academiæ Celeberrimos, Civesque Illustres, Nobiles, Ornatissimos, reliquos item Spectabiles, Clarissimos, Reverendos, Doctissimos, Præstantissimosque viros, in quacunque functione aut honesta occupatione versentur; omni reverentiæ, obsequii, officii, & humanitatis cultu oro & invito, ut dicta luce præsentis Mensis XIII. hora antemeridie x, ad sonitum Campanæ in Curia Musarum Superiori frequentes adesse velint; illustri & benigna eadem sua præsentia, tum animum suum adversus Collegam nostrum testaturi: tum feria vota, pro Rege & Regno & Fennonia nostra suscipi. P. P. Aboæ d. xi. m. Octobr. Anni MDCCXXIV.

(L. S.)